Quelle: https://manuscripta.at/?ID=1210
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift



Ad te domine leuaui animam meam: deus meus
in te confido non erubescam. Neque irrideant me
inimici mei: etenim universi qui sustinent te non
confundentur. Confundantur omnes iniqua agentes
super vacuum. Vias tuas domine demonstra mihi: et semi
tas tuas edoce me. Dirige me in veritate tua et do
ce me quia tu es deus saluator meus et te sustinui
tota die. Reminiscere miserationum tuarum domine
et misericordiarum tuarum quia a seculo sunt. Delicta iuuentutis
mee: et ignorantias meas ne memineris secundum mi
sericordiam memento mihi tu propter bonitatem tuam
domine. Dulcis et rectus dominus: propter hoc legem dabit de
linquentibus in via. Diriget mansuetos in iudicio:
docebit mites vias suas. Universe vie domini misericordia
veritas: requirentibus testamentum eius: et testimonia
eius. Propter nomen tuum domine propitiaberis peccato
meo multum est enim. Quis est homo qui timet dominum:
legem statuit ei in via quam elegit. Anima eius in bo
nis demorabitur: et semen eius hereditabit terram. Firmamentum est
timentibus eum: et testamentum ipsius
ut manifestetur illis. Oculi mei semper ad dominum: quoniam
ipse euellet de laqueo pedes meos. Respice in me et mi
serere mei: quia unicus et pauper sum ego. Tribulationes
cordis mei multiplicate sunt: de necessitatibus
meis eruc me. Vide humilitatem meam et laborem meum
et dimitte omnia delicta mea. Respice inimicos
meos quoniam multiplicati sunt: et odio iniquo odi
erunt me. Custodi animam meam et eruc me: non erubescam
quoniam speraui in te. Innocentes et recti adheserunt mihi
quia sustinui te. Redime deus israel ex omnibus tribulationibus suis.
Iudica me domine quoniam ego in innocentia mea ingressus